





DISSE<sup>19-</sup>  
TATIO FRIDERICIANA,  
DE 1709, 2  
**SORORIBUS GEMELLIS**,  
**AB OSSE SACRO MONSTRO.**  
**SE SIBI INVICEM COHÆ-**  
**RESCENTIBUS.**

Quam,  
SUB PRÆSIDIO

**WILHELMI HULDERICI**

*Waldschmidt /*

Med. Dr. hujus & Phil. experim. Prof. Ord.

Acad. Cæsar, Leopold. N. C. Collegæ,

*ad diem 10. Julii horis locoque consuetis,*

*habebit,*

RESPONDENS,

**JOHANNES MICHAEL ECCARDUS,**

Svinfurto-Francus J. U. Studiosus

&

Notarius Cæsar. Publicus,

---

Kiliæ Holsatorum,

Literis Bartholdi Reutheri, Academ. Typogr. 1709.

DISERTATO FERDERICIVNY

AB OSS*E*SACRO MONSTR*O*

SE SBI NAVIC*M* COHE

REZCENHIBUS


AUTHETMI HILDERRICI

WEG DE NATURE SEPPI CONCEPTIONI GLOT QUT

JOHANNES MICHELE CARDINS

KRISTHOLYSTERHM

IUREZBISPOLYREMPER ADEDEMT YOBOT 1200



## J. J.

Uod de Africa olim in proverbio  
erat, *semper aliquid novi Africam af-* Africa mon-  
*ferre*; quia ex animalium genere frorum fe-  
*diversissimorum*, ob aquæ in terris  
illis penuriam, pleno quotidie ag-  
mine in loca paucissima rigua con-  
gregatorum, atque alienigena libidine copulato-  
rum coitu, varia producerentur monstrorum, ut docet  
Aristot. de gener. anim. 2. 5. Id ipsum de Euro- Europa  
pa nostra si non majori, pari saltem jure possu- etiam,  
mus affirmare. Plena hic sunt omnia monstrorum:  
dantur monstrorum ingeniorum, corporum animato-  
rum, inanimateorum, quibus omnibus monstris ubi dantur  
quid subesse mecum fatebitur quivis, cui corru- monstra in-  
ptissimi seculi mores & indoles non ab extra sal- geniorum,  
tem, sed paulo intimius perspectæ sunt. Quæ non  
hæresium & perversarum opinionum monstrorum monstra a  
Theologiarum insidianter, quibus profligandis era- Theologie.  
dicandisque tot viri doctissimi insudarunt. Nec a  
monstris immunis est ipsa Themis, quod, ut alia Jurispru-  
cuncta præterea satis probavit Holtermannus, dentiae.  
Academiarum Marpurgensis quondam Antecessor ce-  
leberrimus, in monstroso fine lege JCto. Et quid de  
Medicina dicam? Contremisco certe, quando illo-

A

tis

tis manibus in sacra hæc Apollinis tot quotidie involare experior monstra, a Parente J. J. Waldschmidio p. m. in oratione, quam vid. epist. 1. ad Dolæum, nominata: *impostores* scilicet, *agyrtas*, *idiotas*, *sacerdotes*, *Judeos versipelles*, *crumenimulgos*, *sectores Zonarios*, *temerarios carnifices*, *carbo-narios*, *Spazzo caminos*, *caculas*, *lixas*, *calones*, *af-sinos*, *vultures rapaces*, *vulpes*, *lepores*. Verbo: offendes hic *agentium*, nempe medicorum invidorum, calumniatorum, Thrasonum, idiotarum, medicastrorum, temerariorum; *patientium* seu ægrotantium, immorigerorum, inconstantium, ingratiorum; *methodi irrationalis*, sæpe perversæ, prorsusque neglectæ; *instrumentorum* seu remediorum absurdorum, contrariorum, periculosorum, ridiculorum, stercoriorum monstra: quibus omnibus ingemiscere quidem possumus, nullus vero ha-  
 & tenus inventus est Hercules, qui Augiæ huic stabo sufficerit perpurgando. Ipsa denique philosophy, quantis hodie cernitur defœdata opinio-  
 num & placitorum monstros? In hac quippe re-  
 publica liberrima, cuncti sententias suas profiten-  
 tur libere, & quo majora sunt ingenia, eo plus sæpe  
 habent dementiæ, generandisque monstrofis opi-  
 nionibus aptitudinis. Recensendis tantum tot sen-  
 tentiarum portentis, spissum satis volumen, citra  
 magnos labores facile implere possemus, nisi nos  
 alio vocaret præsens institutum, scilicet ad mon-  
 stra proprie dicta, quorum triplex illud Naturæ re-  
 gnum varias nobis exhibit diversitates. Hic suis  
 non

Philoso-  
phia.

monstra-  
tura.

non caret monstros regnum minerale , lapidibus  
nempe , aut fossilibus aliis, in diversas figuras mon-  
strose effectis, variarumque rerum effigies æmu-  
lantibus, de quibus legi potest Kircherus , Mund.  
subterranei . l. 8. §. 8. Et sua quoque regnum vege-  
tabile non raro ostendit monstra, quorum varia re-  
censet Licetus de monstros i. 1. c5. cui adde, si pla-  
cet, Ephemerides N. G. & Majorem nostrum ce-  
leberrimum, *de planta monstrosa Gotorpensi*.

Nullibi vero naturæ aberrationes magis sunt  
obviæ , quam in regno animali, quod monstrorum *animalium*.  
feracissimum est, respectu non solum brutorum,  
sed etiam hominum. Quippe circa animalium ge-  
nerationem, eorundemque formationem in utero,  
cum ex tot partibus componantur, aut error qui-  
dam, aut a communi lege deflexio, foetus forma-  
tionem depravans impediensve , facilime contin-  
gere potest, quale quid in plantis aut mineralibus,  
ob minorem partium numerum, non usque adeo  
frequenter observatur. Nos missis his omnibus, *monstrosa*  
ad monstra humana nostram potius dirigimus con- *humana*,  
siderationem, non omnia, (quis enim illa recense-  
re potest?) sed ad illud præcipue, quod circa anni  
superioris initia, non sine admiratione hic conspe-  
ximus. Sorores erant gemellæ, circa annum mon-  
strose sibi invicem adnatæ , quarum examen & de- *sorores ge-*  
scriptio tanto lubentius a me suscipitur, quanto in *melle, mon-*  
inquirenda partium genitalium conformatio ne- *strofæ sibi*  
glibentius alios, qui idem tractarunt argumentum, *cohaerentes.*  
occupatos fuisse, ex sequentibus apparebit.

*locus nata-  
lis.*

*descriptio  
gemellorum  
accurata.*

Hungaria nobis monstrum hoc transmiserat,  
 cujus pagus Szoeni, Sene, aut Senia, haud procul  
 Camaronio, ad Danubii ripam situs, ob varia anti-  
 quitatis monumenta, quæ ibidem inveniuntur, E-  
 duardo Brownio locus notatu dignus vocatus, *iti-*  
*nerar*: p. 110. nunc tanto notabilior factus parti  
 hocce admirando, anno seculi currentis primo in  
 lucem edito. Puellæ sunt binæ, satis bene formatæ,  
 nisi quod ad ultimam lumborum vertebram, coeun-  
 tibus quasi in unum ossibus sacris, firmissime sibi co-  
 hærent, ita quidem, ut non solum circa posteriorem  
 aut ossis sacri regionem, sed simul etiam laterales  
 ossium innominatorum partes, quæ ilia dicuntur,  
 adglutinatæ quasi sibi invicem quam firmissime,  
 conspicerentur. Hæc tamen communis cohæsi-  
 nis circumferentia, palmæ, aut extensæ cum digi-  
 tis manus magnitudinem non excedebat, magisque  
 anteriora verius procedens, in uno gemellorum la-  
 tere potius, quam in opposito observabatur. Hinc  
 quando Helena, seu major natu sinistrum latus oc-  
 cupabat, juditha vero natu minor dextrum, ut  
 fig. II. apparet, anteriora monstrabant, & collæ sionis  
 locus nates penitus oblitterabat, nullo earum vesti-  
 gio apparente, coalitis scilicet ossibus iliis, sub quo  
 loco in F. meatus urinarius unicus, utrique gemel-  
 lorum communis, situs erat. Quod si ab altera &  
 opposita parte, tergis quasi obversis spectarentur, ut  
 fig. III. ubi juditha dextrum, Helena sinistrum oc-  
 cupat locum, crurum coalitus non tam alte pro-  
 tendebatur, & evidentiora natum separatarum ve-  
 stigia

ftigia conspiciebantur, ut in D. quibus sedentes infinitebantur, & infra D. in medio communis cohæsionis foramen erat seu extremus anus, fœcum excretioni destinatus. Cæterum exceptis his tantum, quibus coalitæ erant partibus, singulis distincta sua obtigerant membra, & capita, Helenæ, facies lœtabunda & pulchrior judithæ, quæ tristior apparebat, colla distincta, trunci separati, brachia pedesque singulis bina, bene formata omnia, justaque inter se proportione prædicta. Diversissimi vero erant temperamenti, Helena loquax, hilaris, petulans, tristior atque taciturnior altera: loquebantur Germanice, Gallice, Hungarice. Circa genitalia, partesque fœcum & urinæ excretioni destinatas, insignes observabantur anomaliæ, paucissimis notatæ, ipsique authori dissertationis de hoc monstro, sub præsidio celeberr. Lipsiensium Professoris Ettmulleri habitæ, obscure saltem notatæ; in spatio, inquit, inter quatuor pedes intermedio, circulus datur patulus, in quem ex utroque corpore duetus definiunt, per alterum tamen, Helenæ scilicet, urina ab utroquereditur; qui, an perfecta genitalia muliebria referant exactius examinare non licuit. Nos, quæ præsentibus illustrissimis quibusdam Holsaticæ Nobilitatis Viris, quorum liberalitas accuratius omnia examinandi facultatem apud foeminam custodem nobis paravit, inspectio accuratiō docuit, cum lectore curioso communicare haud gravabimur.

Ipsæ igitur genitales utrarumque partes non loco ordinario & inter inguina, (hæc enim clausa

penitus erat regio, relicto saltem ex compressione cutis a cruribus utrinque facta, aliquo, levi & impervio vulvæ vestigio), sed in spatio isto, quod inter quatuor crura aut femora intermediū est, sitæ erant, ductisque pedibus, Helenæ quidem binis versus latus unum, judithæ vero versus oppositum extensis ut fig. I. ostendit demum apparebant. Foramina erant duo, quatuor circiter lineas in diametro habentia, vixque lineam a se invicem distantia, subrotunda, patula, quæ digitum minimum facile admitterent, quorum alterum sub Helenæ, alterum sub judithæ inguine, situm erat. Nemo tamen perfecta hic sibi imaginabitur muliebria, suis labiis, alis, clitoride, meatu urinario instruta; hæc omnia deficiebant ipso cum hymene, quod alioquin in infantibus, & nuper admodum in puella septimestri observavi, atque in corpore balsamo condito curiosis quotidie ostendere possum. Neque ullæ in vagina conspici poterant rugæ, adeo, ut si locum excipias, nulla prorsus cum miliebribus adesset similitudo, quod ipsum dubium movere cuidam posset, an foramina hæc in locum genitalium a natura facta fuerint, nec ne; & an per illa ad uterum via pateat?

Versus anteriores, quando nempe juditha dextrum, Helena sinistrum latus occupabat, ut fig. III. ostendit, sub loco coalitionis F. meatus urinarius situs erat, foramen quoddam exiguum, in superiore sui parte corpore rugoso, fig. I. & IV. c. (non usque adeo accurate a calcographo expresso) exornatum, quod illam vulvæ partem, qua meatus urinarius

rius cum superimposita clitoride, & adjectis aliis conspicere solet, quodammodo repræsentabat. Communis erat ambabus urinæ hic exitus, sed conatus excernendi singulæ peculiaris, uti quoque alvum exonerandi stimulus, quamvis per communem a-nun fœces excernerentur. Scilicet in parte postica, meatus urinario obversa, inter natem Helenæ sinistram, & dextram judithæ fig. IV. d. foramen apparebat, fig. I. d. sphinctere suo præditum, excretioni fœcum alvinarum destinatum, quod naturali modo efformatum erat. Verbo: meatus urinarius anteriora, & anus posteriora occupans, in sui medio continebat bina illa foramina, genitalia repræsentantia, quæ omnia facilius ex figura I. & potissimum ex IV. qua partes hæ in situ & magnitudine naturali exhibentur, innotescunt.

Fig. I. A. Helena. B. Juditha.

- c. meatus urinarius, cum vestigiis alarum.
- d. anus.
- e.e. foramina, genitalia repræsentantia

*Figuras huc pertinent  
invenies in Capite ante  
dantis Disputationis.*

Fig. IV. c. meatus urinarius, cum vestigiis alarum.

- d. anus e.e. genitalia.

Hæc est genuina gemellorum horum descrip-tio, ex qua colligere quisque perfacile potest tan-tam in iis deformitatem non observari, quanta in aliis sære monstris apparet, unde non sine omni <sup>an ad mon-</sup> <sub>sra refe-</sub> prorsus ratione dubitari posset, an ad monstrorum <sub>renda,</sub> classem

*derivative  
monstris.*

classem pertineant, nec ne? sive enim a monstrando, quod singulare quid monstrret; sive quod digito tamquam res admiranda & stupenda a singulis monstrretur, monstri vocabulum derivetur: utroque certe sensu sorores haice e numero monstrorum exigendas esse censebunt plurimi, & præsertim illi, qui aniles fabulas, ex philosophia Ethnica plerumque ortas, dudum dimiserunt, nec sibi persuadere posunt, monstrari ab his naturæ anomaliis, quod futurum est, sed res naturales ex causis suis deducere potius allaborant: tum demum enim apparet, nullæ plane inter res istas naturales, aut naturæ anomalies & in sequentes infaustos faustosve successus connexionem, miseramq; argumentandi rationem esse; fit hoc post, ergo propter hoc, aut antecedens signum fuit consequentis. Imo, cum a monstris infausta tantum portendi communiter credatur, vel ipsa experientia hanc opinionem refutat, quando felicia quoque, & familiæ cuidam aut reipublicæ fausta atque salutaria infœcuta læpissime talia fuisse, ex historia constat, unde recte Riolanus de monstro Parisino c. 7. ait. *si imperita plebecula tam diligenter animum adverteret ad felices successus, qui monstris comitantur, ut pacem, nativitatem alicujus principis, serenum ac salubre cœlum, annona copiam, non pauciores observarent eventus faustos & felices, quam infortunatos.* Quin & ridiculæ plerumque sunt conclusiones istæ, quas ex portentis suis elicere solet vulgus, quod vel partus ille monstruosus, anno 1639. Parisiis natus, ut exempla alia quamplurima ta-

ceam,

ceam, evincit. Pueri erant gemelli, a pectore ad umbilicum sibi cohærentes, cœteris suis partibus bene efformati, quorum alter ex consilio duarum vetrularum Ludovici, alter Philippi nomen in S. baptismo obtinuit, non sine omni, scilicet! Regnans quippe in Gallia Ludovicus Xlll, & in Hispania Philippus IV. communicatis consiliis in unum condescendentes, magnum desideratissimæ istis temporibus paci superaddere posse pondus, horumque officiis tranquillitatem publicam Europæ iri redditam, multi crediderunt. Author partis quartæ Theatri prognosticæ Europæ p. 130, aliam addit significationem: significari nempe partu hoc monstroso, Hispaniam & Galliam, corpora, actionibus diversissima, coali-tura aliquando in unum. Cui quidem prognostico eventus hactenus non respondit, nec respondebit facile, pulsum quippe per exorcismum Fœderatorum efficacissimum, quintæ Monarchiæ spectrum, penitus nunc disparuit.

Ab altera vero parte, & si a monstrando, quod derivatio dixi monstrum a quovis, denominationem obti-nuerit monstrum, non usque adeo gemellis his qua-drare monstri nomen videtur, amictæ enim dupli-cithorace, qui in unam stolam coibant, sedentes præsertim, nihil, quod tanquam singulare quid monstrari debebat, ostendebant, sed tanquam pu-ellæ binæ sibi assidentes ab omnibus æstimabantur. Quo tamen non obstante, sive cum Aristotele l. 4. c. 3. 4. de gener. anim. monstrum definiamus, quod fit prævaricatio & excursus naturæ, consistens vel in monstri A-ri-super-stoletica.

*superfluitate membrorum, vel defectu, vel mutilatione loci naturalis, vel depravatione quantitatis, qualitatis, aut figuræ : sive cum Licetol. I. c. I. monstræ esse animantia, inusitatæ strueture, suis genitoribus valde dissimilia, & raro contingentia statuamus; aut quocunque denique modo monstra definiamus, hæ tamen nostræ gemellæ, non tam propter monstram sui coalitionem, quam genitalium & urinæ, foecumque alvinarum excretioni dicatarum partium figuram, situm, numerum depravatum vitiatumque, e classe monstrorum eximi non possunt, quicquid etiam aliis circa hanc rem visum fuerit.*

Licetus

*monstrorum  
differentia*

*secundum  
Aristotelem;*

*Licetus*

Major forte difficultas circa monstrorum differentias, certosque ordines aut classes constitutas, quibus comprehendendi singula, quæ innotuerunt haec tenus, commode queant, suboriri posset, nisi præeuntes haberemus præter Aristotelem viros doctissimos alias, a quibus tamen citra ullum vitium in aliquibus dissentire, liberrimum nobis erit. Deflectunt vero monstra secundum Aristotelem l. c. a naturali ordine I. in membrorum superfluitate, 2. eorundem defectu, 3. mutatione loci naturalis, 4. depravatione quantitatis, 5. depravatione qualitatis, 6. depravatione figuræ. Licetus, qui multas divisiones monstri in suas species supremas, l. I. c. 13. affert, desumpta tandem a formæ essentialis varietate nota differentiali, primo in *uniforme & multiforme* monstrum dividit: uniforme ipsi dicitur illud, quod partes habet, membra unius speciei referentes; multiforme, quod constat ex partibus, mem-

bre

(11)

bra viventium diversæ speciei æmulantibus. Uniforme in sex species illi subdividitur: mutilum, excedens, naturæ ancipitis, difforme, informe, enorme. Multiforme quadrifariam distinguitur, in illud 1. quod ex partibus constat variorum individuorum in eadem specie, 2. quod coagmentatur ex partibus, membra viventium diversæ speciei in eodem genere propinquo referentibus; 3. quod constat ex partibus, membra viventium diversi generis propinqui æmulantibus; 4. constans ex membris referentibus partes viventium in variopenitus genere. Adeo ut monstrorum species omnes ad decem redegerit, quarum singulis sua addit exempla.

Hæc, quamvis recte sese habere videantur, confusa tamen nimis mihi apparet divisio, & quæ non tam consulit memoriæ, quam illam confundit, neque omnium captui satis commoda videatur, hinc rectius quis monstra divisor in *simplicia* & *composita*. Simplex erit, quod ex uno corpore constat, cujus partes membra viventis ejusdem speciei referunt; compositum vero, quod ex diversis corporibus, aut corporum partibus, sive ejusdem sive diversæ speciei componitur. Utrumque peccabit trifariam: 1. *numero*, vel aucto vel imminuto, 2. *situ* partium depravato, 3. *figura* depravata. His classibus, si addatur tertia, monstri *ancipitis*, ego quidem omnia monstra ad eas commode referri posse existimo atque exemplis declarabo. Monstrum simplex, numero partium aucto, est homo ille monstrosus, capite gemino, & foemina, duobus capitibus nata, quorum meminit Licetus p.

85. 86. & l. 2. c. 2. recenset monstra partium numero imminuto, puerum brachiis orbatum: quo pertinet mulier carens manibus, literas pingere, colum tractare, nere, numerare pecuniam pedibus, educta; cuius quoque generis adolescens, brachiis carens, pedibus apprehenso scalpello barbam radens, pennas ad scribendum aptans, elegantissime scribens, chartis ludens, bombardam explodens, aliasque manuum operas felicissime expediens, hic loci a nobis est visus. Monstrum, in quo situs partium depravatus est, memoratura Liceto, l. 2. c 30. exemplo pueri, membrum genitale in vertice gerentis, aut aliis, cuius intestina e corpore propendebant, capite versus pedes inclinato. Monstra simplicia, figuræ depravatae, in quibus vel totum corpus, vel aliqua ejus pars figuram, a naturali maxime alienam obtinet, in monstris humanis ore distorto, auribus ad cubitum propendentibus, hujusque farinæ aliis cernimus.

Monstrum compositum constat vel 1. ex diversis ejusdem tamen specie corporibus, ut sorores gemellæ Hassiacæ, abdomine sibi cohærentes, de quibus lege dissertationem J. J. Waldschmidii p. m. Fœminæ duæ, binis genitalibus, dupl. ci ventre, quaternis brachiis, dorso ab imis humeris, ut inquit Paræus, ad nates usque arctissime sibi cohærentes, Licet. c. 10. 2. vel ex humano & bruto corpore, aut e partibus corporis humani & bruti in unum coalescentibus componitur, quale est illud, pedibus & cruribus bovinis, residuo corpore humano; felis a mulie-

muliere prognata, cui a parte postica dependerunt duo integra crura humana, cum partibus coxarum hominis, quorum mentionem facit Licetus l. 2. c. 28. quo referri quoque potest vitulus semihomo, a vacca editus, cuius modo citatus author l. a. meminit. Est autem in monstro composito numerus partium vel auctus, ut exemplum felis, cuius modo facta est mentio, præter quatuor pedes felinos, duo crura humana, retro se trahens, ostendit. Vel imminutus; quando bina corpora, omnibus suis partibus absoluta, vel unicum saltē caput habent, aut quando duo corpora sibi ita coherent, ut perfectum unum, alterum vero mutilem sit, quemadmodum in homine illo adulto, e cuius abdomine puellus collotenus prominuit, observante Licetol. 2. c. 14. quo etiam pertinet exemplum Lazari Colloredi, cui in pectore fraterculus adnatus erat, propendente tantum pede sinistro, tribusque in manibus singulis digitis, cuius meminit Th. Bartholius cent. 1. histor. 66. Nec silentio prætereunda est monstri Hochstattenfis historia, quod describitur Theatr. Europæi part. 4. p. 837. pueri erant bini, capitibus geminis, e diametro sibi oppositis, brachiis, pedibus, truncis perfecti, circa inguina sibi adnati, quorum figura l. c. videri potest. Cui quoad situm corporum non usque adeo dissimile est monstrum Anglicanum, dupli capite, brachiis quatuor præditum, cuius capita sibi e directo obversa erant, sic ut caput unum pedum locum occuparet. Subjectum capiti utrique corpus in omnibus bene se habebat, usque ad regionem umbilicalem, ubi coalitus utriusque.

lumbi, femora ; pedesque e latere, illic loci, ubi duo illa corpora unita, prodibant, quo loco & discrimen sexus, muliebre pudendum annotabatur, figuram ejus vide apud Licetum append. p. 316. Posset tamen etiam hoc monstrum intuitu pedum, laterali-  
ter prodeuntium, ad classem compositorum, in quo situs partium depravatus est, commode referri, quo referendae quoque sunt puellæ nostræ mon-  
strofæ, respectu situs genitalium, viæque excremen-  
torum & urinæ. Possunt enim quandoque mon-  
stra, diverso respectu nunc ad hanc, nunc ad illam classem referri, quando scilicet in una parte mutilam, in altera excedentem sortita sunt quantitatem, qua-  
lia, si quis cum Liceto ad peculiarem, *anticipitum*  
nempe ordinem referre velit, nos sibi non usque a-  
deo contradicentes habebit. Quo vero differentiæ  
monstrorum secundum nostram divisionem evi-  
dentes fiant, præsentē tabulā hic subjicere placuit.

I.	Simplex , partium	1. Numéro	auctio.
		2. Situ depravato.	imminuto.
		3. Figura depravata.	
Monstrum est vel	Compositū, partium	1. Numero	auctio.
		2. Situ depravato.	imminuto.
		3. Figura depravata.	
3.	anceps , quantitate	in una parte deficiente,	
		in altera abundante.	

Quibus

Quibus ita expeditis, notandum insuper est,  
 non ex omnibus tam quantitatis, quam qualitatis  
 vitiis monstra oriri, dantur enim morbi qualitatis  
 mutatae & quantitatis vitiatae, quos conformatio-  
 nis morbos appellant medici. Statuimus igitur quod  
 tale quantitatis vitiū, vel ad morbos conformatio-  
 nis pertineat, aut depravatae figuræ accenseri queat,  
 aut denique, quod in gigantibus & pygmæis locum  
 habet, sola membrorum, justam inter se propor-  
 tionem, numerum & figuram servantium, magni-  
 tudo aut parvitas non faciat monstrum, siquidem de  
 his dicere non posturnus, *ἀμαρτίματα* illa esse, in  
 quibus natura finem suum non fit assedita, ut re-  
 cete docet Licetus, l. 1. c. 12. De qualitatibus vero vitiis  
 ita est sentiendū: pertinere illa vel ad figuræ vel situs  
 depravationem, aut, plane sub monstrorum classem  
 non esse redigenda, ne præter necessitatem reique  
 veritatem differentia monstrorum multiplicentur. Ita  
 infans nigro colore instar æthiopis infectus, ab albis  
 parentibus, aut vice versa, foetus candidus, a pa-  
 rentibus æthiopibus prognatus, sine omni prorsus  
 ratione ad monstrorum ordinem refertur. Quamvis  
 enim monstrosi quid habeat hæc generatio, ipsum  
 productum tamen non est monstrorum, quia 1. vi-  
 dentes non rapit in sui admirationem, 2. nihil in  
 suo corpore absolute considerato, obtinet monstrosi:  
 quamvis habita ad parentes relatione, insoliti plane  
 quid, & extraordinarii factum esse, quivis videat,  
 ut cum Liceto l. 2. c. 46. concludimus. Unde  
 æthiops iste Basaimensis filium candidum, quem  
 uxor

*Aethiops fulium album pro suo non vult agno scere.*

*Causa monstrorum non nisi perspecta fetus formatione cognoscit possunt.*

*Opinio veterum de generatione animalium.*

uxor ejus nigra pepererat, non sine omni prorsus ratione pro suo agnoscere solebat, donec a P. Th. de Bare S. J. admonitus, gallinas atras a gallo atro compressas, alba nihilominus excludere ova, reversus ad saniorem mentem, pro filio a se prognato infantem receperit, teste Tavernerio itin. l. 5. c. 17. p. 127.

Causas monstrorum in tanta effectuum differentia, varias quoque esse, quivis facile videt, nemmo tamen genuinas determinare poterit, nisi perspecta prius conceptionis & formationis foetus in utero ratione atque modo. Nos, quantum in re adeo abstrusa, *θεῖον τὸ πρᾶγμα* idcirco Platoni dicta, hallucinari licet, breviter negotium istud explicandum aggrediemur, operae tamen pretium facturos nos arbitramur, si praecipuas philosophorum opiniones recenseamus, quo ex earundem collatione veritas magis resplendeat. Prima est veterum, ipsiusque Hippocratis, ut appareat libro *τρεπὶ γόνης*, requiri ad conceptionem utriusque seminis, masculini & foeminei commixtionem in utero, ex quibus, sibi invicem unitis, vi plastica formetur foetus, nunc unicus nunc plures, pro seminum quantitate, facultatisque genitricis robore. Hæc vero sententia, post instituta a Harvæo in damis statim a congressu experimentis, vix ullos sui amplius habet defensores, nihil enim seminis vel immediate, vel interposito aliquot dierum spatio a coitu in utero reperiri, constanti experimento observavit, vid: exerc. 68. generat: animalium.

Sed

Sed altera quoque & recentissimā de genera-  
tione animalium sententia, quæ, quantum quidem  
scio, authorem agnoscit Leuenhoeckium Delphen-  
sem, in conspectum prodeat. Solertissimus hicce  
naturæ inquisitor, instructus microscopiis accuratis-  
simis, in semine masculino animalium diversissi-  
morum, ipsiusque hominis, ingentem animalculo-  
rum viventium, & exilissimorum, cauda longissima  
præditorum copiam observavit, & epistolis diversis,  
idiomate Belgico exaratis non solum descripsit, sed  
etiam delineavit. Ex animalculis aut vermiculis  
hisce, cum semine masculino, tanquam eorum vehi-  
culo, utero injectis, unum vel alterum, nacto oppor-  
tuno loco in utero, ubi vasculum quoddam san-  
guiferum aliudve, quod nutriendo animalculo  
aptum fuerit, ore apprehenderit, & fugendo quasi  
huic cohæserit, incrementum sumere, aliamque in-  
duere faciem, membranam exteriorem secundi-  
nas efformare, ipsumque corpusculum huma-  
nam induere faciem, & ex verme formari horri-  
nem, cui, cum suum jam adsit corculum visce-  
raque alia, imo anima vivens, ( sed verinalis )  
hæc metamorphosis assensum apud plurimos faci-  
liss invenit, quam vel ipsæ poetarum de ortu ho-  
minum fabulæ: Alii vero, proprius intuentes *aliorum.*  
mulierum organa, propagationi speciei destinata,  
observabant facile, testes seu ovaria in his non fru-  
stra efformata esse, aliud suadente eorum substan-  
tia, situ, connexione & vasis, considerato simul a-

*Recentio-  
rum. Leven-  
hoeckii.*

C

vium,

vium, piscium, insectorum ortu ex ovo, retentis  
 quidem animalculis in semine masculino reperiun-  
 dis, his ova mulierum superaddiderunt, negotium-  
 Hartsoecker-  
 ri. que generationis sequentem in modum explicare  
 conati sunt: Ingredi nempe in ipso coitu ex ova-  
 rio muliebri per tubam Fallopiam ovulum unum  
 vel alterum in ipsum uterum, cui simul infundatur  
 semen masculinum, vehiculum innumerorum ver-  
 miculorum, quorum unus subeat ipsum ovulum,  
 & locum illum, quem cicatriculam vocamus, par-  
 vam veluti cellulam, unico vermiculo excipiendo a-  
 ptam, occupet, quo ipso ovulum foecundum sit fa-  
 ctū, cuius succo gelatinoso nutriatur animalculum,  
 donec interea temporis ovulum in matrice ipsa  
 radices egerit, & ex illa succum nutritum, foetui  
 grandescenti sufficientem, per umbilicalia vasa hau-  
 riat. Quemadmodum hæc latius explicat Hartsoe-  
 ckerus, dans ses suites des conjectures physiques, p.  
 d'abia circa  
 hanc opi- 105. Hæc vero, utcumque speciosa appareat opinio,  
 nionem. omni tamen destituta mihi esse videtur fundamento;  
 quippe quæ de animalculis in semine masculino re-  
 periundis dicuntur, hæc omnia, gratis supponuntur,  
 quorum quidem existentia nondum satis probata  
 est, quicquid Leuenhoeckius, Hartsoeckerus,  
 aliique hujus sententiæ patroni asserant, atque ad  
 oculorum testimonium provocent. Ego certe, ac-  
 curatissimis instructis microscopiis, Marechalli  
 præsertim optici Anglicani, Mutsenbroeckii, alio-  
 rumque, diversi artificii, atque hos inter methodo  
 ipsius

ipius Leuenhoeckii paratis, nulla tamen unquā animalcula, sive viva sive mortua in animalium spermate observare hačtenus potui, institutis licet plurimis experimentis, adeo ut hac in realiorum observationibus, contra experientiam propriam, assensum præbere non potuerim, firmiterque credam, partes fluidi, varie inter se motas, & anguillarum more juxta se repentes, ut loquitur Cartesius, viris hisce alioquin acutissimis imposuisse, & pro vermiculis ab illis habitas fuisse; cui conjecturæ tanto facilius credo, quanto frequentius in ejusmodi experimentis decipi inquisitores exemplis constat. Nolim quippe fidem horum curiosorum naturæ investigatorum, plane vocare in dubium, quamvis sciam, non facile exterum quendam, sibique ignotum a Leuenhoeckio vel admitti, aut experimenta ejus spectanda illi præberi, quod mihi met ipsi dum aliquoties ad ædes ejus inviserem, contigit. Deinde, cum frequenti observatione compertum sit, nihil plane, & ne vestigium quidem ovuli immediate post coitum in utero reperiri, ego certe non video, qua ratione animalculum istud ovulum subire queat: via quippe per tubam uteri non videtur accommodata, ut per illam vermiculus ad ovarium pertingere valeat. Quod si hæc omnia conciderentur, maxima tamen suboriretur difficultas, quare infantes sæpiissime corpore & animo matres potius referant, quæ tamen nihil præter locum & nutrimentum foetui præbent? Viderint igitur asser-

ti hujus patroni, quomodo ex his, aliisque difficultibus, de quibus alio tempore, sese extricent: nobis non placet ortus iste animalium & ipsius hominis verminosus,

*Sententia probabilior.* Amplectimur potius sententiam istorum, qui omnia animalia, ex ovo generari existimant, ad id induc*ti* per analogismum generationis quem in avibus, pisibus, insectis, verbo: oviparis videmus. Praexistunt ovula hæcce, sive vesiculæ ovi formes ante imprægnationem in ovario muliebri, & a semine masculino fœcundantur, ut re*cte* docuit R. de Graef. de mulierum organis generationi inservientibus. Ingreditur nempe aura seu spiritus semenis masculini, in coitu utero concepti per tubas Fallopianas, & per tunicam istam quæ ovulum ambit, facile sese insinuat, & humor i*n* vesicula oviformi, intra ovarium muliebre constituta, contento, qui antea quiete jacebat, nullum præter fluidi motum habens, novum superaddit motum, quem si fermentativum quis nominare velit, non usque adeo aberrabit a vero. Humor ita agitatus, majus affectat spatiū, angustis istis limitibus includi amplius nescius, ovulum inflat, quod perrupta communi qua obvolvuntur membrana elabitur, & a tuba Falloplana exceptum, uterus ingreditur factaque est conceptio, modo unius, modo gemellorum, aut plurium fœtuum, Partus ad quatenus nempe unum, duo, tria, plurave ovula modum fœcundantur, & uterus ingrediuntur. Nemini cunctus. igitur incredibilis appareat relatio, per novellas publicas

publicas e Gallia perscripta, peperisse Aquis Sextiis  
urbe Provinciæ, uxorem gubernatoris uno partu  
liberos novem, de qua historia ad Magnificum Do-  
minum Pro Rectorum, Dn. Kortholtum ejus fra-  
ter literis Parisiis ad illum die 12. Martii anni curren-  
tis exaratis ita scribit: *Dominus Dacierius nuper affir-  
mavit, virum eruditum, qui agit Ais en Provence cer-  
tiorum se fecisse. foeminam novem liberos, novem die-  
rum intervallo enixaam esse; quatuor masculos, &  
quinque foemellas, baptismum omnes recepere.*

His ita prælibatis, ad causas monstrorum in *Cause mon-  
strorum*  
genere, & in specie ad eam, qua sorores nostræ ge-  
mellæ præter monstrorum sui cohæsionem, circa *quintupli-  
ces.*  
genitales, fœcumque & urinæ excretioni destinatas  
partes monstrose efformatae sint, accedendum erit.  
Quintuplex vero causa, ob quam natura a cursu suo  
ordinario in animalium generatione deflectit, poti-  
sum occurrit, quarum *prima* in ipso ovulo quæ- *prima.*  
renda est. Latent quippe in hoc rudimenta, seu  
primæ lineaæ fœtus, e quibus successive exoritur cor-  
pus illud, adeo mirabiliter efformatum, quando i-  
gitur in primis hisce lineis aut pars quædam deficit,  
aut abundat, aut alio quovis modo peccat, monstrum  
inde oritur, plus minus a naturali conditione defle-  
ctens. *Secundo*: ipse motus materiae seu humoris *Secunda.*  
in ovo contento ab aura feminis masculini impres-  
sus, rei peragendæ quandoque improportionatus  
esse potest, & vel violentus nimis, aut justo debi-  
litor, unde partium efformatio quoque vitiatur, eæ-  
demque vel situ vel numero a naturali conditione

tertia.

quarta.

quinta.

deflectunt: aut *tertio* abdominis compressio , facta  
a casu , percussione , aut constrictione quacunque ,  
foetus in utero constituti figuram monstrose alterare  
potest ; *quarto* , matris imaginatio , aut commotiones  
mentis vehementiores , ad monstrorum produc-  
tionem suas quoque conferunt partes , ut disserta-  
tione de imaginatione hominum & brutorum docui,  
videri quoque super hac re , & connexione inter ani-  
mæ istas commotiones , & inter aberrationem ab  
ordinaria generatione Malebranche de inquirenda  
veritate tom. I. l. II. c. 4. *Quinta* denique causa est  
loci angustia , quando vel uterus ex vitio confor-  
mationis angustus nimis est , vel secundinæ ob  
magnitudinem aut numerum , dum foetus duplex ,  
triplex aut multiplex spatio hoc includitur ,  
compressæque adeo partes , varieque distortæ , a-  
liam & monstruosam induunt faciem , ipsaque natu-  
ra in opere suo impedita , monstrosum edit effectum ,  
aut corpus unum alteri per symphysis jungitur :  
*Tagliacotii* quemadmodum *Tagliacotius* , chirurgus Ita-  
chirurgia lus modum excogitavit , quo membra absissa resti-  
curorum . tueret , alligando verbi gratia nasi detruncati resi-  
duum vel ejusdem vel alterius hominis brachio  
sauciato , vulnusque jungens vulneri , & conveni-  
enti ligatura in situ hoc conservans , donec partes hæ-  
sibi invicem coalescant , ut libro de chirurgia curto-  
ri ars effici- rum docet : aut quemadmodum *Hartsoekerus* loco  
endi mōstra , supra citato , p. 102. scribit , quod pars una corporis  
in uno homine excoriata , juncta alterius hominis  
parti cuidam etiam excoriatæ firmissime huic coale-  
scat ,

scat, qua ratione homo homini, bestia bestiæ, aut homo bestiæ concretcere possit, atque hoc artificium Mrs. Bernard dans ses nouvelles de la république des lettres, mois sept: 1708. p. 304. vocat artem conficiendi monstra artificialia.

Et hanc ipsam loci angustiam pro causa monstrorum hujus concretionis in gemellis nostris agnoscimus: ovula nempe illa bina in coitu fecundata, *Causa mon-  
strofœ con-  
cretionis in  
gemellis.* juncta sibi proximius post sui in uterum ingressum, vasis suis umbilicalibus radices in eo egerunt, & incrementum capiente gemellorum singulo, membranæ exteriore in loco sui contactus perruptæ, foetuumque corpora tenella tergoribus immediate sibi juncta sunt, & cum foetus in utero, capite ad genua flexo quasi fedeat, contingere facile potuit ut circa os sacrum, posterioresque ossium innominatorum partes, quibus potissimum se attigerunt, coalescerent, ossibus scilicet jam efformatis, sed mollioribus nec cuncte tectis. Hac insuper coalitione, natura in perficiendis genitalibus impedita, a via ordinaria deflexit, & non quo debuit sed quo potuit modo ea efformavit. Quod si Hartfoeckero credimus, ex duorum vermiculorum, unicum ovulum subeuntium, nec in cellula sua spatium satis amplum habentium coalitu, oriri monstra gemina statuendum erit.

Sed sufficiant hæc de monstrorum causis, accedamus potius post longas istas digressiones iterum ad monstrum illud de quo impræsentiarum est sermo. Ubi circa partum & exitum ejus ex utero in *partus mo-  
dus.* lucem

lucem magnæ occurunt difficultates, viarū nempe angustia, corporumque binorum coalitu, egressum admodum impeditientibus, ut, nisi Deus clementissime adstisset, impossibilis certe fuisset tum matris tū fœtuum conservatio. Prodiit primo Helena capite, & corpore dimidio ad usque umbilicum, extractis deinde obstetricis industria etiā pedibus, & post trihorium demum sequuta est juditha, natibus primum & corpore quasi conduplicato prodiens, qui partus ob fœtus duplicatim prodeuntis crassitiem difficillimus esse solet. Videamus autē porro, quas actiones in arte hac corporū unione utraque communes, quasve distinctas fororum singula habeat? Et cum medici actiones in vitales & animales dividere soleant, de illis quidē primo agendum erit. Alimentorum iter, atque chylificationis officina, os, gula, ventriculus, cum aliis huic negotio destinatis partibus singulatim cuique obtigerunt, unde appetitus quoque in iis diversus; esuriente una, altera de cibis parum erat sollicita, nec sitiente una, altera quoque sitiebat, evidenti testimonio, singulis proprium fuisse stomachum, partesque transitui alimentorum in illum dicatas; quod de intestinis quoque statuendum est. Abdomina enim opposita sibi erant, nullumque inter se commercium habebant, excepta sola illa cohæsione a tergi parte inferiore, qua factum est, ut quae per totum sui tractum separata erant intestina, circa recti finem in unum coirent. Neque profundius nexus huncce & unionem latuissime, vel ex eo colligitur, quod alvum deponendi stimulus singulæ peculi-

*Actiones vitales proprie.*

*Communes.*

peculiaris fuerit, dum una post aliam ad naturæ opus invitaretur; Idem de urinæ viis censemum esse arbitror. Partes interiores, renes, eorundemque va-  
sa & ureteres, ipsamque vesicam singulis peculia-  
res obtigisse, sed connexa sibi fuisse colla vesicæ,  
non procul ab exitu, hinc foramen per quod urina  
exiret, numero unicum, stimulus vero ad redden-  
dam eandem distinctus in utraque observabatur.

Partes genitales foris separatae, singulis quo-  
que peculiarem uterum tribuendi rationem non <sup>generandi</sup>  
spernendam præbent, præsertim cum inferior, of-<sup>facultas</sup>  
fibus circumscripta abdominis regio, quæ pelvis <sup>singulis pro-</sup>  
<sup>priæ</sup> dicitur in utroque gemellorum separatis existat:  
hinc quamlibet suo tempore menstruas purgationes  
seorsim habituram esse, merito conjicimus. Num <sup>anhabiles</sup>  
vero matrimonio habiles sint futurae alia est quæ-<sup>ad matri-</sup>  
stio? Quæ si physice determinari debeat, ego ha-<sup>monium</sup>  
ctenus, quantum ex conformatio[n]e partium foris  
conspiciendarum hariolari licet, pro affirmativa sta-  
rem: quod si quæstio moraliter decidenda, an ma-  
trimonium his gemellis concedendū sit necne? Ne-  
gativam eligendam esse censerem; aliud quippe est,  
an persona quædam ad generationem apta sit, aliud  
vero, an matrimonium illi concedi debeat. Quod  
si enim sponsalia dissolvuntur fœditate aliqua nota-  
bili, ut docet Mænoch. cons. 426. num 9. vers. *con-*  
*siderant*, quia ex arbore corrupta de facili fructus  
corrupti nascuntur, & ex radice infecta bonus fru-  
ctus exire non potest; quanto magis præcaven-  
dum

dum erit, ne monstra abominanda procreentur, quod fieri perfacile posset, si iis matrimonium inire liceat. Accedit & hoc incommodum, quod partes genitales adeo propinquæ fibi sint, ut vix linea distent, adeoque impossibile sit, ut propter arctissimam corporum unionem una cum viro congregandi queat, nisi præsente altera, ita ut hac ratione vitiiis paretur via quam paratissima, ipsaque honestas variis modis lœdatur, quod tamen quovis modo fu-  
giendum & præcavendum est.

Sed redeamus in viam: ubi observamus & chyli & sanguinis iter atque distributionem singulis esse

*in loco co-  
ditus vasa  
a communis.*

*pectus 15  
caput dī-  
stincta.*

*actio nes  
animales  
propria.*

*morbi pro-  
prii.*

peculiares, nisi quod in loco communis coalitus vasa quædam sanguifera, sed minora inter se communicent: ipsum vero pectus, hujusque viscera, cor cum pulmonibus, abdomen quoque cum suis visceribus, epate puta, liene, aliisque, caput denique cum cerebro & cerebello, singulis erant distincta, nullumque inter se commercium habebant, hinc diversissimi inveniebantur temperamenti, hilaris una, tristior altera, loquax una, tacitura altera, ingeniosa una, stupidior altera quæ diversitas sanguinis & spirituum diversissimam in illis constitutionem arguit atque ostendit, non multum commercii bina hæc corpora inter se habere. Unde quoque fas est credere, unam ægrotare posse, altera existente sana, quod experientia confirmavit, juditia quippe seu secunda natu laborabat diarrhoea, cum natu major immunis plane esset ab hoc malo. Sed excipiendi hic sunt morbi contagiosi, quibus laborans

laborans una, alteram ob arctius commercium infi-  
cere facilime potest, hinc una variolis detenta, al-  
tera statim eodem morbo præhensa fuit, quamvis  
hic ipse effectus communioni vasorum licet exilissi-  
morum, & proinde etiam sanguinis commixtioni  
adscribi quoque possit: nullus enim dubito, quin  
febris, qua una affligitur, præsertim si diutius du-  
ret, aut sæpius recurrat, ad sororem quoque tran-  
stitura sit. Communes igitur erunt morbi illi, quo-  
rum fons & origo latet in sanguine, & quorum sub-  
jectum sunt partes communes, urinæ nempe alvi-  
que exitus, in quibus etiam sensus utriusque commu-  
nis est; acu quippe puncta cute in loco coalitus,  
dolorem utraque sentiebat. Cœteri morbi unam  
affligere poterunt, altera existente immuni. Pa-  
tent quoque exinde, quod medicamenta non ope-  
rentur in utramque, sed huic soli, aqua sumuntur  
medelam adferant, nisi morbus fuerit communis,  
hinc purgans Helenæ exhibitum, hanc solam pur-  
gabat, quod de omnibus aliis remediis evacuantib-  
us crediderim.

Nötatu præterea dignum est in his gemellis,  
quod vigilante una dormiat quandoq; altera, ipsius-  
que intellectus & voluntatis actiones distinctissimæ  
in iis observentur. Ridiculum visu erat, quod dum  
una a mensa, cui assiderant, recedere moliebatur,  
altera manu utraque mensam apprehendendo, hanc  
remorabatur, & ab abitu arcebat. Ipse denique  
earum incessus insoliti plane quid ostendebat, dum  
una recta procedens, alteram lateraliter potius se-

*Communis*

*intellectus  
& volunta-  
ris actiones  
diverse.*

cum protrahebat, invitam potius, quam sponte subsequentem, cum ipsa pedum constructio motui huic laterali adversaretur, atque voluntas plane distincta in illis esset.

Patet ex his quæ modo dicta sunt, communione quam inter se habent sorores hæcce gemellæ, non usque adeo arctam esse, nec spatum quo sibi cohaerent adeo amplum: perfectos & distinctos esse homines, omnibus suis partibus absolutos, excepta partium excrementorum exonerationi dicatarum communione, hinc plures in ea sunt opinione, divelli a se invicem potuisse statim post nativitatem eosdem. Nec res hæc visa est multis plane impossibilis, aut adeo periculosa, ut ne quidem tentari potuerit: cum enim in loco unionis vasa non nisi minora, muscularia & subcutanea sita sint, nulla ex ista separatione pertimescenda lethalis hæmorrhagia, neque difficilis adeo fuisset partium separatarum consolidatio, quæ cute facile tegi potuissent, cum circumferentia cohæsionis non adeo magna, nec in loco nobiliori sita esset. Verum enim vero, utcunque speciosæ hæ sunt assertiones, nemo tamen citra maximum periculum operationem istam audere potuisset, partim propter firmissimam ossium, quæ sacra medicis vocantur, unionem & coalescentiam, non nisi cū summa violentia solvendam; partim propter neruorum e medulla spinali prodeuntium viciniam, ipsiusque medullæ spinalis circa hunc locum divisionem multiplicem in nervos ad crura, musculos ani, vesicæ, femoris &c. excurrentes: partim

*an arte di-  
velli potue-  
rint.*

*rationes af-  
firmandi.*

*rationes ne-  
gandi*

partim denique propter viæ urinæ alvique in  
extremitate unionem; quæ omnes circumstantiæ  
operationem hanc periculosisimam, atque cum præ-  
sentaneo vitæ periculo conjunctam fuisse, satis evin-  
cunt. Quod si contingat, ut una ex his moriatur  
altera superstite, tunc necessario tentanda erit sepa-  
ratio, nisi absque omni auxilio hanc relinquere ve-  
limus, cui ex putredine demortua, quovis momento  
latius serpente, partesque proximas successive ag-  
grediente, miserrime esset pereundum. Igitur in ca-  
su desperato anceps, imo periculosum tentandum  
est experimentum, factaque in demortua incisione,  
sensim ad alteram, inquirendo quasi accedendum  
est, quo usque hæc separatio produci potest, quod  
hoc tempore tanto fit securius, quanto in mora pe-  
riculum vitæ est præsentius. In dubio enim casu,  
dubium quandoque eligendum est remedium, &  
ubi ratio non valet, ibi sæpe temeritas fuit auxilio.  
Placet hoc loco subjungere disticha illa quibus cogi-  
tationes suas de his gemellis monstrosis satis ele-  
ganter expressit medicus Hungarus, quæque iconi  
hujus monstri addita legimus:

Corpora binarum sic concrevere sororum,

Non nisi Divina dissocianda manu.

Szoenii patria est, vicus Comoræ conterminus

arci,

Quæ nunquam Lunæ paruit imperio.

Amplexa est ulnis Helenam Lucina priorem,

Horis deinde tribus nata Juditha fuit.

D 3

Exitus

Exitus urinæ patet unicus, unicus alvo,

Observant numerum cœtera membra suum.

Misit ad ignotas tenuis fortuna parentum,

Neu pereat tantæ fama stupenda rei.

Interlora Latent, neq; Ve Vnt abstrVsa VIDerI,

EXIgVo totVM CorpVs In ære patet.


Restat ut de futuris etiam quædam addamus, quamvis quæstio hæc Theologica magis sit quam physica; & nemo puto nobis vitio vertet, si curiositatam aliorum quam nostræ etiam in hac parte satisfaciamus, atque hoc loco decidamus quid proba-

*An monstrij biliter statuendum sit: An monstrum hoc geminum  
hoc conjunctum, an vero separatum aliquando resurre-  
ctum an se-  
paratum re-  
surrecturum sit.* Ut vero sine multis ambagibus sen-  
tentiam nostram aperiamus, pro fundamento po-  
nendū est, quod fide credimus, Deum per sui omni-  
potentiam resuscitaturum aliquando omnes homi-  
nes, quotcunque unquam vixerunt, vivunt, aut im-  
postorum vivent, ita ut idem homo reviviscat, qui  
fuit antea, idem individuum, cum omnibus suis par-  
tibus, adeoque etiam hæc sorores ambae, sunt enim  
homines bini, corpore & anima distincti, quod si  
Helenæ corpus & anima, & Judithæ corpus & ani-  
ma sibi iterum uniantur, eadem resurgent indivi-  
dua. Neque necessum tamen est ut corporibus  
conjunctis reviviscant, hæc enim coalescentia ac-  
cidentaria est, & pro summa imperfectione haben-  
da, quam Deus in restitutione illa mortuorum uni-  
versali omni procul dubio solvet, distinctaque cor-  
pora hæcce inter se erunt. Nec configiendum hic est  
ad

ad Corinorū opinionem satis singularem, mortuos etiam adultos, renascituros cum eodem corpore, cum eadem materiæ quantitate, cum qua primo nati, imo forsitan & cum qua in utero generati sunt; vid. Evang. medic. p. 107. neque cum omnibus organis sed faltem cum iis, quæ ad vitam sunt absolu- te necessaria, reddituros, p. 109. sq. qua ratione facile quidem explicatur partium in vita junctarum, & alvi atque urinæ secretioni dicaturum post resurrec- tionem constitutio, quas cum nec edat nec bibat homo resuscitatus una cum aliis superflvas futuras esse existimat; quamvis argumenta ejus tanti non sint, ut a sententia recepta & in sacris fundamentum habente, proinde recedamus. Firmiter autem per- suasi sumus, & resurrecturas has forores, & divul- fis aut separatis corporibus apparituras. Notabilis est historia, quam Caspar a Rejes camp. elys. p. 560. ex Henrico Gandavensi recenset, fuisse duos fratres monströse sibi cohærentes, quorum alter pius erat & devotus, impius vero & vitiosus alter: ac dum unus orare volebat, alter de quærendis meretrici- bus sollicitus erat. Unus igitur sita ad vitæ finem usque hic probitati, ille malitiæ studiissent, post re- surrectionem ad vitam æternam, alter ad infernum destinandus, adeo ut divisim hæc corpora resurrec- tura fuisse, nullum sit dubium. Deus itaque omni- potens, qui plura potest & majora, quam ratione assequi possumus, non obstantibus omnibus diffi- cultatibus, quæ circa hanc rem moveri possunt, hanc quoque tollet imperfectionem, & separatas si- fit

stet has sorores ; placet sententia Augustini , quæ de conditione resurgentium l. 22. c. 19. de civitate Dei legitur : *Nihil esse peritum corpori , quod ei naturaliter insuit , id vero tantum , quod deformis est , idque Deum facturum , quod artifex solet , qui statuam deformem , sive consulto talis facta sit , sive casu , & artis errore , rursus dissolutam igne , in pulchriorem potest figuram perducere , ut eadem maneat substantia , deformitas prior absit ; nam quicquid in turpi illa figura existabat aut expressum erat , aut aberat ad concinnitatem , id vel amputat vel implet , vel adjicit , ut seditas abeat . Simile quid in resurrectione illa fieri putandum est ; Abhorrent monstrosa illæ deformitates a futura sanctorum felicitate , & ad cetera dona corporis pulchritudo & partium congruentia cum coloris suavitate accedit , ut nihil uspiam sit , quod ostendere , ubique quod delectare posset . Modum restituendi Creatori relinquamus , non enim naturæ opus est , sed infiniti agentis ac potentiae.*

## T A N T U M.



uæ  
Dei  
tu-  
id-  
m  
io-  
b-  
r-  
at  
d-  
ne  
e-  
e-  
ia  
t,  
m



*Fig. L.*



*Scott. incid.*





ULB Halle  
003 742 709

3



f  
TA → SL

nur 1+21 ShirK verknüpft



B.I.G.

Black

Farbkarte #13

White

3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches



8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
0

DISSE<sup>19</sup>  
TATIO FRIDERICIANA,  
DE 1709, 2  
**SORORIBUS GEMELLIS**  
**AB OSSE SACRO MONSTRO-**  
**SE SIBI INVICEM COHÆ-**  
**RESCENTIBUS.**

Quam,  
SUB PRÆSIDIO

**WILHELMI HULDERICI**

*Waldschmidt /*

Med. Dr. hujus & Phil. experim. Prof. Ord.

Acad. Cæsar. Leopold. N. C. Collegæ,  
ad diem 10. Julii horis locoque consuetis,  
habebit,

RESPONDENS,

**JOHANNES MICHAEL ECCARDUS,**

Svinfurto Francus J. U. Studiosus

&

Notarius Cæsar. Publicus,

Kiliæ Holsatorum,

Literis Bartholdi Reuthéri, Academ. Typogr. 1709.